



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxiv [i.e. i]. Essentia rei est id, quod est primum in unaquaq̃ue re, & radix
cæterorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

formali, sive prius est, aliquid esse bonum, quàm esse amabile formaliter, non tamen prius est, esse bonum, quàm esse amabile fundamentaliter. Quibus non obstat quod ens positivum, quatenus disconvenit alicui subjecto, V. G. calor aquæ, dolor positivus homini, adeoque purè propter hanc disconvenientiam suam, & nō ratione suæ entitatis, seu secundum se spectatum sit odibile, aptumque terminare actum odii; eatenus enim mala positiva respectiva dicuntur. **E**contra non entia, quatenus carentia perfectione essentiali fundamentaliter sunt odibilia absque ordine ad subjectum, cui hæc carentia disconvenit, sunt mala malitiâ transcendentali & absolutâ.

DISSERTATIO SECUNDA

De Essentia, Possibilitate & impossibilitate rerum.

I. **E**ssentia rei est id, quod primum est in unaquaq; re, & radix cæterorū; cum enim in aliqua re reperiantur plures entitates
vel

vel prædicata, re vel ratione distincta, illa entitas, vel illud prædicatum dicitur essentia, quod est primum & præcipuum, ex quo cætera velut secundaria oriuntur realiter, vel juxta nostrum concipiendi modum, pro ut est essentia physica vel metaphysica, quarum una ab altera tantum ratione distinguitur. Ita *animal rationale* est essentia hominis, quia neutrum illorum radicitur in altero tanquam priore, sed illa sunt, unde oriuntur cætera V. G. *risibile*.

II. Essentiæ rerum creatarum non sunt ab æterno, neque secundum aliquod esse existentia diminutum, neque secundum aliquod esse essentia reale in se, cui dein in tempore adveniat existentia tanquam ultima ejus actualitas. Quidquid enim à Deo non est factum, vel est ipse Deus, vel nihil, sed essentiæ rerum non sunt ab æterno factæ à Deo, nec sunt ipse Deus, ergo. Sunt tamen ab æterno secundum esse objectivum & ideale, quatenus ab omni æternitate fuerunt in cognitione & ideis divinis, in quibus ideis seu cognitione Dei practica non fuere entia fictitia, utpote à Deo non factibilia. Item dici possunt esse ab æterno

no